

Q. F. F. Q. S.  
RESOLUTIO PROBLEMATIS

A  
REGIA SVECANA SCIENTIA-  
RUM ACADEMIA  
PROPOSITI

De

# CANDELA SUB AQUIS ARDENTE,

Qyam,

Consent. Ampliss. Facult. Philos. in regia Academia Aboensi,

Publico honorum examini modeste submittunt

AUCTOR

# M. JACOB GADOLIN

Mathem. Doc.

ET RESPONENS

# GUSTAVUS WELIN

Borea Fennones

die XIV. Martii A. MDCCXLVII.  
hor. a. merid.

---

ABOÆ, Excid. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ.

ILLUSTRIS-  
SVECANÆ  
RUM ACADE-

AD

promovendam humani  
at-  
Patriæ splendo-  
insti-  
qvalem cunque hunc in-  
in pietatis debitam Si-

JACOB

# SIMÆ SCIENTIA- MIÆ REGIÆ

generis utilitatem  
qve  
rem instaurandum  
tutæ  
genii sui fœtum  
gnificationem D. D. D.

GADOLIN.

G A L E N V S.

**A**udendum est, & veritas investiganda; quia in etiam si non assequamur, omnino tamen proprius, quam nunc sumus, ad eam perveniemus.

B A C O V E R V L A M I V S.

**H**oc illud est, quod revera doctrinam atque artes condecoraret, & attolleret, si contemplatio & actio arctiore quam adhuc vinculo copularentur.



### §. I.

**V**erba, qvæ mihi in prælenti materiam scribendi subministrarunt, ad finem Actorum Illustriss. Reg. Svec. Scientiarum Academizæ pro anno 1739. Mens. Oct. & Seq. ita se habent: *Sjærsmål. Wetenskaps Academien will med sederdes wederkerfölo uptaga, om någon bebagade lemna henne uplysnings i föliande mål. 720 Huru en sådan lykta må kunna tilredas, at liuset k in deruti brinna om nattetid, under vatnet uti en fio, och således med skenet läcka in fisken uti någon behändig fiskebragd?* Videlicet cum videar mihi in desideratam problematis hujus resolutionem incidisse, ab officio meo non alienum esse judicavi, publicæ luci eam communicare. Qvo circa consultum esse duxi, missa methodi rigidioris ingrata affectatione, breviter tantummodo atque sincere enarrare & meditationes illas, qvæ occasionem mihi præbuerunt resolvendi hujus problematis, & experimenta illa pauca, qvæ circa hanc rem instituerim.

### §. II.

**I**Gnis consideratio multum difficultatis peperit Physicis. Nobil. Christ. Polhem, Hyperboreus ille  
A noster

noster Archimedes, ignem dicit esse nihil aliud, quam aërem compressum, qui vi suæ elasticitatis subito se expandit. vid. Acta Reg. Sv. Scient. Acad. pro a. 1739. mens. Jul. & seqv. Qvicquid autem sit de ipsa ignis substantia, id notum est, pulverem tormentarium sub recipiente vitro, extracto per antlam pneumaticam aëre, in flammatum non erumpere licet speculo caustico uratur; item scintillas, sub eodem recipiente, chalybis ope non elidi e faciliter. Juxta constat, aërem igni admotum valde expandi. Experimento demonstravit Rob. Boyle, posse aërem vi ignis ita expandi, ut volumen aëris calefacti sit ad ejusdem non calefacti volumen ut 15000 ad 1.; quin autem in ipso igne, seu postquam in ignem abierit, multo magis expandatur, nullum est dubium.

Ignis candelæ ardentis liberum requirit aëris novi accessum, si enim hæc accensa vasi undique clauso includatur, vel in tubum longiorem graciliorum, superius apertum sed inferius clausum immittatur, mox debilitatur & extinguitur ignis. Idem in libero aëre positus sursum majori vi agit quam deorsum aut versus latera, patet hoc ad morto ad candelam ardenter digito. Potest ejus vis aliorum quoque detorveri; sic flatu lateralí per siphonem angusti orificii, flamma candelæ ad latus inflexa extempore liquefacit vitrum eidem obiectum. Intenditur ejus vis sursum directa, sublata communicatione lateralí cum aëre; flamma enim candelæ in tubum ferreum utrinque apertum immissa

3

missa in multo maiorem longitudinem extenditur.  
Impeditur ignis actio interpolitis obtaculis; sic qui  
ante caminum ardente stat, calefieri potest, dum  
alter pone eum positus nullam omnino ignis vim  
sentit.

### §. III.

**A**Dea, qvæ §. præced. dicta sunt, animum at-  
tendens deprehendi, præcipuam in eo consi-  
stere problematis difficultatem, qvomodo nimirum  
obtineatur, ut submersa aquis lucerna cum cande-  
la ardente, aér ad candelam continuo accedat at-  
qve ab eadem rursus recedat ad ignem alendum  
sufficiens. Pluribus id fieri posse modis intellexi.  
Scilicet refert Nobil. Mart. Trievald in libro, cui  
nomen *Konst at lefwa under watn*, urinatoribus con-  
suetum esse, dum luce sub aquis indigent, sub cam-  
pana sua candelam accendere, atqve, illuminatis  
objectis, prouti desideraverint, mox iterum extin-  
guere, ne inutiliter consumatur aér ad respiratio-  
nem necessarius; aërem vero novum, qvoties opus  
fuerit, sub campanas vehi, dum cupæ (*tunnor*) aë-  
re plenæ, appensis ponderibus, sub campanas sub-  
merguntur atqve exinde in campanas aëg emitti-  
tur, priori expulso, qvod fusiū explicat actōr lau-  
datus. (\*)

A 2

Hinc

---

(\*) refert Nob. J. Leupold in *Theatro Machin. Pontif. c.*  
z. §. 16. methodum hanc permiscandi aërem invenisse. Cet.  
Hallejuns, cum eam desiderasset Reg. Soc. scient. Angt.

Hinc non difficile erat iudicatu, ardere candelam sub campana in aqua profunda, modo aer illa, quam dixi, machinatione permutetur; ideoque, posito quod campana integra vel aliquod ejus latus ex vitro pellucido construatur, obtineri sic posse, ut lumen candelæ utcunq; per aquas diffundatur, quamdiu & quoties placuerit. Præterea cogitavi permutationem aeris talem quoque obtineri posse ope duarum antiliarum, quæ alternis vicibus aerem, per diversos tubos in ipsam lucernam inde a summitate aquæ pertingentes, deterrent atque exsurgent; & quidem hac ratione non necesse esse urinatoribus, qui sub aqua permutationem aeris promoveant. Verum haec & aliæ hujuscemodi resolutiones problematis in abstracto considerati neuriqvam satisfaciunt scopo Reg Scien. Academiæ. Patet enim istas requirere præsentiam hominum, neque posse tales machinas moveri sine quodam strepitu; pisces autem fugiunt hominum conspectum atque strepitus insolitos, ut jam raceam nimis sumtuosas fore habeat methodos. Attamen cum ne hisce quidem obvenientibus difficultatibus in eam paterer me induci sententiam, esse penitus desperandum de perfecta responsione ad questionem hancce pulcherrimam, judicavi non poenitendam esse operam, quam impenderem examinandis variis partibus, quæ ad hanc rem pertinere videbantur. Ea tantum, quæ feliciori tandem resolutioni problematis viam pandebant, strictum recensabo. Hac autem refero seqvens.

## §. IV.

**P**roblema. *Explicare motum fluidi gravis elasticis, in tubo verticali aperto, dum expanditur vi intra tubum agente in determinata distantiarum ratione sursum a loco dato.* Designet FG  
 IH fig. 1. tubum utrinque apertum, fluido profunde immersum atque verticaliter positum; hujus sectio normalis AB sit locus & quasi centrum virium fluidum expandentium, quarum intensitas supra locum AB sequitur rationem dignitatis distantiarum, cuius exponens dicatur n. Vires has, brevitatis causa, simpliciter vocabo vires. Fluidi elasticitas in quovis loco supra AB ex duplice causa derivanda est, scilicet quantum aut pondere incumbenter fluidi comprimitur fluidum sua natura elasticum, aut actione virium vis ejus elastica absoluta intenditur. Prior illa vis elastica proportionalis est incumbenti ponderi, atque designatur quantitate constante P, quandoquidem pondus istud constans est; Supponitur namque tanta fluidi altitudo, ut differentiae ponderum cuivis loco intra tubum sumto imminentium pro nullis habeantur in relatione ad integra pondera. Posterior vis variabilis est pro ratione distantiarum ab AB, & in distantia quibusvis AE, Ae, exprimitur quantitatibus V. & v. respectively. Sint rectae EC, ec parallelae ipsi AB, producanturque in D. & d, donec rectae ED, ed, exprimant correspondentes vires variables eodem modo, quo aequales rectae AB vel EC exprimunt vim illam constantem. Est igitur

ex

ex hypothesi V:  $v = ED$ :  $ed = AE^n : Ae^n$ ; nec non  $P: V = CE: ED$ ; &  $P:v = ce (= CE): ed$ ; unde sequitur esse  $P \nmid V$ :  $P \nmid v = DC: dc$ . Motus fluidi ex actione virium istarum oriundas ut distincte represententur menti, primo concipiendum est fluidum illud quiescere, deinde autem accedere vires istas intra tubum sitas, quae fluidum intra spharam activitatis suae positum expandant & motum causantur. Per naturam enim fluidorum gravium, quae rariora seu specifice leviora sunt, descendunt per densiora seu specifice graviora. Porro cum ascendentis fluido succedat temper aliud per inferiorem tubi aperturam, continuata hacce virium actione, constantem & immutabilem tandem factum esse fluidi motum suppono. Quia autem integra vis, qua fluidi particulæ in se invicem agerent, si eandem densitatem haberent cum fluido libero, seu quod ab actione virium istarum immune est, componitur ex illa constanti & variabili; erit particularum fluidi vis integra absoluta in distantis  $AE$  &  $Ae$ . ut  $P \nmid V$ . &  $P \nmid v$ . seu ut  $DC$ , &  $dc$ . respective. Ast ob constantem fluidi fluxum ubique æqualis est ejus vis expansiva, quæ particula quævis urget aliam vicinam: hæc autem vis est in ratione composita ex ratione densitatis fluidi, quam liceat supponere simplicem, & ratione virium absolutarum particularum fluidi in quavis distantia; æqualia ergo sunt rectangula, quæ comprehenduntur sub quantitatibus, quæ sunt ut densitates

tates & vires absolutæ in iisdem distantiis, hoc est,  
si densitates in E. & e. dicantur d. & D. respective,  
erit d.  $\sqrt{V \cdot P} = D \cdot \sqrt{v \cdot P}$ , ideoqve d: D =  $\sqrt{v/v}$ :  $\sqrt{P/P}$  =  
dc: D C. Præterea cum figura tubi sit prismatica  
vel cylindrica, erit qvantitas materiæ fluidi in qvovis  
tubi segmento minimo ad latera ejus normali ut den-  
sitas. Ejuscemodi qvantitas materiæ in distantiis E.  
& e. dicatur m. & M. respective; eritqve m: M =  
d: D =  $\frac{\sqrt{V \cdot P}}{\sqrt{D \cdot C}} : dc$ , hoc est, qvantitas materiæ ubiqve  
est inverse ut ordinata correspondens D C. vel dc.  
Igitur sumtis in recta A e. (fig. 2.) punctis A, E.  
& e., qvæ illis in priori figura cognominibus re-  
spondeant, & erectis normalibus E L. & el. qvæ  
sint ut  $\frac{\sqrt{V \cdot P}}{D \cdot C}$ , &  $\frac{\sqrt{v \cdot P}}{dc}$  respectively, dataqve quadratura li-  
neæ, qvam tangunt puncta ordinatarum L. l., da-  
bitur ratio inter qvantitates materiæ juxta A E. &  
A e. tubo contentas. Data vero simul ratione den-  
sitatibus fluidi in distantiis qvavis data AE ad den-  
sitem fluidi liberi, datur ratio qvantitatis fluidi per  
distantiam A E, agentibus viribus expansi, ad  
fluidum liberum æquali tubi portione contentum.  
Qvohabet dato tempore æqualis fluidi qvantitas  
qvamlibet transversam tubi sectionem præterfluit,  
omnis namqve materia, qvæ ab una parte tubum  
intravit, ab altera ex eodem egreditur, idqve  
constantem servando fluxum: dum autem sic fluit,  
inæqualiter densa est: & materiæ ejusdem qvantita-  
tis,

tis, manente basi, columnna evadit tanto longior, quanto minus densa est, velotitasque fluidi in quovis loco tanta est, quanta foret puncti, quod, si omnis materia, quæ dato tempore eandem sectionem pateretur, extendatur in columnam, cuius eadem sit densitas cum densitate fluidi in isto loco eademque basis cum basi tubi, ejus columnæ longitudinem æquabili velocitate percurreret; patet ideo velocitatem particulae cuiuslibet esse tanto minorem, quanto major est densitas in isto loco; idemque velocitates particularum fluidi in quovis loco esse ut correspondentes ordinatas D.C. vel d.c.

## §. V.

**A**er tellurem ambiens est fluidum grave elasticum, cuius altitudo ignota licet, ingens tamen est. Idem vi ignis expanditur, quemadmodum §. 2. dictum est. Eorum ergo, quæ §. præced. de fluido & viribus illud expandentibus allata sunt, saltim aliqualis ad aërem atque ignem applicatio fieri potest. Ignis circumquaque agit, & quidem ad mojorem distantiam debiliori, ad minorem fortiori vi; est itaque de genere virium centralium. De viribus centralibus vulgo affirmari solet, quod concipiendæ sint instar radiorum e centro sphæræ per superficiem ejus æqualiter diffusorum, quorum densitas est in ratione reciproca duplicata distantiarum. Verum de igne in libero aëre posito idem non valet, agit enim, ad easdem licet distantias majori vi sursum quam latera versus. Huc facit, quod cum tubo verticali aperto inclusus

sus est, quem casum in præsenti unice considero, multo magis intendatur ejus vis sursum directa, per §. 2. Posito itaque quod vires ignis aërem expandentes decrescant in ratione reciproca distantiarum, liceat videre qualis exinde sequatur aëris per tubum motus. Nimirum est exponens dignitatis distantiarum  $n = -1$ , ideoque  $AE^n = \frac{1}{AE}$ , &

$Ae^n = \frac{1}{Ae}$ , nec non  $DE : de = Ae : AE$ , atque rectangulum  $DE$ ,  $AE = de$ ,  $Ae$ . Quod cum eodem modo affirmandum sit de quovis rectangulo, quod comprehenditur sub abscissa quavis de puncto A, in recta AH sumta, & ordinata correspondente, patet curvam Dd, per ordinatarum puncta transeuntem esse hyperbolam Apollonianam, cuius asymptotus est recta AH, atque centrum A. Hujus hyperbolæ potentia dicatur  $a^2$ ; recta  $AB = c$ ; abscissa asymptoti  $AE = x$ ; ordinata intra asymptotas ED =  $y$ ; eritque per naturam hyperbolæ  $a^2 = xy$ , &  $y = \frac{a^2}{x}$ ; hinc est  $DC = y + c = \frac{a^2 + cx}{x}$ . Præterea cum

aliunde constet aëris diversimode compressi vim elasticam esse in ratione densitatum, probabile est in eadem quoque ratione per ignem ejus vim elasticam intendi, ideoque integrum vim elasticam particularum aëris per ignem expansarum, ceteris paribus, eandem adhuc servare proportionem, quemadmodum de fluido in genere considerato suppositum est §. præc. Itaque cum quantitas materiæ in

distantia  $x$ , sit ut  $\overline{DC}$ , seu ut  $LE$ , fig. 2. dicatur  
 $LE = z = \frac{e^x}{\overline{DC}}$ , si videlicet  $e$  exprimat quantita-  
tem constantem, eritque  $z = \frac{xe^x}{a^2 + cx}$ , unde habetur  
æquatio ad curvam  $Ll$ , nimirum  $z \cdot a^2 + cx = e^x x$ ,  
seu  $zx + \frac{za^2}{c} - \frac{xe^x}{c} = 0$ . quæ iterum est æquatio  
ad Hyperbolam. Scilicet in asymptotis rectangulis  
BH. & BK, fig. 3. sumatur  $BK = \frac{e^x}{c}$ ,  $BF = \frac{a^2}{c}$ ;  
per punctum K. ducatur recta KE. ipsi BH. par-  
allela; ex punto F. erigatur FA. ad BH. normalis  
secans rectam KE. in A; per A. ducatur Hyperbo-  
la DAL; per punctum E, quod respondet puncto  
cognomini in fig. 2. ducatur recta EH. ipsi BK.  
parallela secans Hyperbolam in L. atque asympto-  
tum in H; erit abscissa  $AE = x$ , & ordinata  $EL = z$ .

Patet hinc aëris quantitatem per distantiam ab  
igne  $x$ , tubo contentam esse ad aërem ignis vi  
non expansum, qui æqualem tubi portionem oc-  
cupat, ut spatium hyperbolicum AEL. ad rectan-  
gulum AH. Est enim fluidi quantitas in quavis  
distantia AE. ut ordinata correspondens EL, at-  
que per quamvis distantiam Ee. ut fluxio spatii  
hyperbolici EeLL. seu rectangulum eE. EL, ideo-  
que omnis aëris per totam distantiam AE. expan-  
sus,

sus, ut summa omnium ejusmodi fluxionum vel  
rectangulorum, hoc est ut totum spatium illud hyperbolicum. Verum si punctum E. abeat in infinitum, per naturam hyperbolæ fiet E L. = EH, atque, ob evanescentem vim ignis ad taletm distantiam, erit quantitas aëris, ut recta data HE. Integra ergo aëris quantitas, per quamvis distantiam ut AE. in tubo extensa, quatenus ab ignis actione immunis est, est ut rectangulum, quod comprehenditur sub ista distantia atque recta HE.

Tempus, quo particula quamvis aëris per distantiam AE. moveretur, est itidem ut spatium hyperbolicum AEL. Concipiatur enim distantia AE. divisa in partes infinite parvas æquales ut Ee, quas successively percurrit particula aëris dum ab igne ascendit, poterit velocitas, qua singula ejusmodi spatiola percurruntur, pro uniformi haberet; ideoque cum æqualia sint hæc spatiola, erunt tempuscula, quibus percurruntur, inverse ut velocitates. Verum per §. præced. velocitates in quavis ab igne distantia sunt ut correspondentes ordinatæ DC, atque haec rursus sunt inverse ut ordinatæ EL, & proinde ordinatæ EL. sunt inverse ut velocitates. Igitur tempuscula, quibus percurruntur singula Spatiola, sunt ut correspondentes ordinatæ EL, seu ut eadem ordinatæ in æqualia ista spatiola duæ, hoc est, ut rectangula EL. Ee, vel, coenibus punctis E. & e, ut spatia le EL. Summa ergo omnium tempusculorum seu integrum tempus est ut summa correspondentium spatiolorum

rum hyperbolicorum seu ut spatium integrum.

Hinc ulterius manifestum est, idem tempus, de quo modo dictum fuit, esse ad tempus, quo per æqualem in tubo distantiam moverur aëris particula, antequam ignis vim passa fuerit, ut spatium AEL. ad rectang. AH. Puncto enim E. in infinitum remoto, sit EL = EA, hoc est, ubi vis ignis non agit in aërem, tempulcula commemorata sunt ut EH, atque integrum tempus motus per distantiam ipsi AE, æqualem sed extra sphæram activitatis ignis, ut AH.

Tandem & id hinc deducitur, esse velocitatem aëris in tubo extra sphæram activitatis ignis, ad velocitatem in loco quovis E in ratione inveria rectæ datæ HE. ad rectam EL.

### § VI.

**N**on quidem inficior, hypotheses de viribus ignis aërisve allatas esse fortassis mathematicas magis quam physicas, ideoque, quem § præced explicui motum aëris, forsitan non exakte contentire eum ipsa veritate rei; interim tamen id mihi sufficit, dari omnino aliquem ejusmodi motum, quæcumque demum sint istarum virium leges. Si enim in libero aëre verticaliter suspendatur tubus unringue apertus, atque intra eum v. gr. circa medium ejus erigatur candela accentu, quæ tubi cavitatem totam non intercludat, sed potius satis magnam juxta se habeat aperturam; nullum est dubium quin calefiat & expandatur aëris tubo contenitus igitur proximus; expansus autem atque specificus

cifice levior factus ascendat sursum juxta longitudinem tubi; in hujus loco cedentis locum, naturae fluidorum gravium convenienter, a parte tubi inferiori succedat aer novus, aere externo in cavitatem tubi inferne irruente, & quidem continua o tali motu, quamdiu duraverit ipse ignis. Neque videtur esse locus suspicioni, quod sufficitur ignis, modo tanquam supponatur tubi cavitas, per quam igni sustentando sufficiens copia aeris hac ratione fluere queat. Hac consideratio, imaginatione duce, mihi viam aperuit ad cogitandum de illa problematis resolutione, quam traditus sum, prout ex his, quae proxime sequuntur, patebit.

§. VII.

Concepiebam nimirum paulo infra medium incurvari tubam istum. ita ut ambæ ejus extremitates sursum respicerent, candela vero supra curvaturam in altera ejus parte arderet. Hoc posito, intellexi aerem nihilominus, in candela ardoris usum, per tubum incurvatum, circulationem sponte continuatorum esse. Cum enim ignis agat deorsum minori vi quam sursum, immo interpositis obstatulis ejus vis impediatur, per §. 2; necesse est, ignis candela multo magis expandat aerem superiorem in ea tubi parte, in qua posita est candela, quam in altera sursum inflexa, in quam vel ad medium exigua vel nulla ejus vis pertingit. Tollitor igitur in aere æquilibrium, adscenditque aer levior, & in ejus locum succedit novus aer per tubi partem recurvam, estque hic motus

tus continuus ob continuam ignis actionem. Ulterius cum perpendarem aerem externum, qui infra summitates tubi apertas tubum ambit, nihil conferre ad circulationem aeris, quatenus per latera ejus penetrare nequit, persuadebam mihi perinde omnino fore, quæcunque materia tubum incurvatum ambiret, modo extremitates ejus apertæ in aerem liberum delinerent. Nihil igitur impedi re videbatur, quominus candela tubo inclusa ardeat, licet in aquam immergatur. Id solummodo restare jam videbatur, ut successum cogitatorum experimentis tentarem. Interim id dubio suspensum tenebat animum, quod non antea haec lucernæ constructio tentata & approbata fuerit, siquidem quam proxime dependet ab aeris ignisque affectionibus dudum cognitis.

### §. VIII.

**O**MNIA PRIMO EXPERIMENTUM CAPERE VOLUI IN AERE LIBERO. HUNC IN FINEM SUMSI URNULAM, SEU VASECULUM LIGNEUM APERTUM SUPERNE, CUI INJECTI CANDELAM ARDENTEM; APERTURAM CLAVSI ASSERCULO; OPERCULI HUJUS MEDIO INSEQUI ARUNDINEM HISPANICAM, VULGO SIC DICTAM, PER CUJUS CAVITATEM AER CALEFACTUS EX VASE ADSCENDERET, ERAVIT VERO ARUNDINIS HUJUS LONGITUDO CIRCITER DUORUM PEDUM, CAVITATIS AUTEM DIAMETER QVINQUE VEL SEX LINEARUM. UT ADITUS PATERET AERI EXTERNO AD CANDELAM, FORAMINI AD INFIMAM VASIS PARTEM FACTO APPLICUI SIPHUNCULUM SURSUM INFLEXUM CUM ALIA ARUNDINE EJUSDEM CUMILLA PRIORI GENERIS; HUJUS LONGITUDO ERAVIT QVATUOR CIRCI-

circiter pedum. Rimulae omnes ira erant occlusæ, ut circulationi aeris non aliis relinqveretur locus quam per ipsos tubos. Experimentum feliciter succedebat, ardente candela, donec tota fuisse consumta. Circulationem quoque aeris quam antea mihi repræsentaveram, talem eam jam actu deprehendi. Præterquam enim quod satis calidus sentiretur aer, manu supra tubum operculo infimum posita, etiam plumulam tubi extremitati admotam idem aer egrediens manifeste repellebat, atque aer in alterum tubum irruens attrahebat.

Deinde animum advertens ad ea, quæ de motu aeris per tubum §§. præced. dicta sunt, percepi nullam fuisse habitam rationem longitudinis tuborum, modo non ultra aerem, hoc est, ultra atmosphærā aut ejus regiones tenuiores extendentur. Non itaque videbatur, esse ullus dubitatio[ni] locus, quin eodem modo succederet experimentum, si longiores essent tubi. Igitur duas ejusdem generis arundines duodecim pedes longas mihi comparavi, atque, excussis filo ferreo crassiori omnibus fundis in quovis nodo cavitates arundinum occludentibus, experimentum repetii in aere libero. Cum autem mox extingueretur candela, in justo arctiori tuborum cavitate ejus rei causam positam esse conjiciebam, vix enim trium linearum erat diameter cavitatis, & in quolibet nodo arctior adhuc erat cava, quæ inæqualitas haud parum impeditbat circulationem aeris. Remanebat itaque spes felicioris successus, si maiores fierent tubi,

Quam-

Quamobrem ex ligno constructos curavi duos tubos octo pedes longos, qvorum cavitas paulo major erat cavitate arundinum, de qvibus primo loco dictum est. Alter tubus foramini in operculo vasis infigebatur, qvemadmodum de arundine supra dixi. Cum vero perinde esse judicarem, utrum alter tubus extra vel intra vas positus esset, modo ad inferiorem vasis partem per eum pateret aeri liber aditus; ut commodius tractari posset machina, curavi aliud in vasis operculo fieri foramen, cui hic tubus ita agglutinabatur, ut extremitas partis ejus inferioris, duobus tere cum dimidio digitis a fundo vasis abesset. Ut aliquid luminis in aquam quoque spargeretur, lateri vasis inferebatur tenestella ex vitro vulgari confecta. Tandem accensâ candelâ, in puteum immergebatur lucerna ad lex pedum profunditatem sub aquâ superficie. Ardebat candela sub aqua per duas horas, deinde autem aqua in vas irruente, mox extinguebatur. Mirabar ego inexpectatum rei eventum. Elevata vero lucerna, animadverti diffratum fuisse vitrum, ea forte de caussa, qvod in aqua intumuerit vas ligneum. Neque id silentio prætereundum, qvod anteqvam diffriingeretur vitrum, etiam in libero aere tentaverim experimentum duabus simul accensis candelis, qvo facto tantus erat in lucerna calor, ut liqvescierent candele priusquam conlumtae essent. Caloris nimii causam in justo angustioribus tubis latere conjiciebam. Experimenta hæc, & qvæ seqvuntur, insti-

tui

tui in sede Pastorali Nousiensi, nimirum haec tenus  
relata mente Mart. a. 1746, reliqua autem mente  
Januar. hujus anni. Interea cogitavi quidem de  
urso vitreo majori (*glasbrück*) in hunc usum com-  
parando, verum non eram certus de firmitate vul-  
garium ejusmodi urserorum, neque commoda daba-  
tur occasio a vitrariis obtinendi vas vitreum sphæ-  
ricum, cuius figura violentæ compressioni aquæ  
optime resistere potest.

Novus jam mihi erat instrumentorum appara-  
tus. Nimirum tubos habui duos cylindricos tre-  
decim pedes longos, ex laminis ferreis stanno con-  
glutinatos, qvorum diameter longus erat unum di-  
gitum cum duabus tertiiis partibus, cujusmodi di-  
gitos pes Svecanus continet decem. Præterea ha-  
bebam annulum ferreum crassiorem lateri lucernæ  
interendum, cui includebatur vitrum circulare po-  
litum satis firmum. Ipsum vas, qvod lucernæ vi-  
cem obiret, ligneum erat, figuræ cylindricæ, alti-  
tudo ejus duodecim, diameter autem undecim di-  
gitorum erat, ipsa cavitate vasis ad mensuram re-  
vocata. Cum vero exiguum admodum luminis  
portionem per illud vitrum emitti judicarem, e stan-  
no confectum curavi speculum concavum, qvod  
foramini oppositum lumen foramen verius reflecte-  
bat. Porro ut Speculi esset usus, quem optabam,  
necessæ erat flammam candelæ eundem semper te-  
nere locum, dum consumeretur candela; hunc in

finem candelæ subjici elaterem e filo ferreo contorto confectum ( *Knorr fieder Svetice dictum* ) qui apprimens candelam ad annulum supremæ parti candelabri affixum efficiebat, ut flamma eundem semper locum teneret. (\*) In lucerna is eligebatur candelæ locus, de quo, mediante speculo, plurimum lucis per foramen emittebatur. Erat ipsum vas confectum bino fundo. Cum vero necessarium esset foramen quoddam majus, per quod ipsa candela immitteretur, in medio fundi superioris id fieri curavi; idem claudebatur asperculo ejusdem cum foramine figuræ, interposito corio oleo illito. Huic operculo infixus erat alter tubus, ita ut flammatæ candelæ verticaliter immineret. In latere vasis, juxta insertionem vitri, foramen erat exiguum, per quod accendi poterat candela; foramen hoc epistomio claudebatur. Immersio lucernæ in aquam sequenti fiebat machina. Latieri vasis ub una pars deo affixi erant annuli lignei, per quos duci potuit pertica fundo amnis verticaliter impacta atque supra aquæ superficiem prominens, ne videlicet lucerna immota oblique adscenderet; juxta illos annulos vasi alligata erat alia pertica paulo longior quam altitudo aquæ; hujus perticæ inferior pars

---

(\*) Quatenus lampas, ex ellychnium in oleo ardens, eundem heic, quem candela sebacea, videtur praestare usum, potuisse equidem, absque bujuscmodi elatere, idem ope lampadis obtineri; verum facienti mibi haec experientia non aderat talis lampas.

pars infra fundum vasis inferius non pertingebat, superiori vero parti alligata erat trochlea. Præterea tertia erat pertica. qvæ sub glaciem depressa exinde in situ horizontali elevari non potuit. Hujus medio alligatus funis circum trochleam ducebatur, & applicata ad hunc funem vi in aquam immergebatur lucerna. (\*\*)

Omnibus hilice partibus rite compositis & accentu candela, tentavi primo experimentum ad profunditatem quatuor fere pedum. Ardebat candela per duas horas, quibus elapsis, extinctam eam reperi, licet neque illa tota esset consumta, neque aquæ in lucernam ullus patueret aditus. Valde intensus tunc erat frigus; quare metuebam in frigore nescio quam occultam hujus rei causam latitare. Accensâ iterum candela atque demersâ lucerna, per tubum flammæ imminentem solicite attendi ad candelam, si forte datur ulla ratio pervenienti ad notitiam causæ extinctæ candelæ. Observavi autem lateribus interioribus tubi istius adhærere guttulas aquæ in lucernam destillantes, haud secus ac fenestras plerumque ejusmodi guttulis quasi superindui experimur. Harum guttularum quædam decidebant in ipsam candelam, siquidem centrum ejus centro tu-

---

(\*\*) Etiam appensis ponderibus demergi potest lucerna, quod in primis usu veniet, ubi e re fuerit eam sub aqua ex loco in locum transferri. Quid vero circa hoc ipsum observandum sit, res ipsa quemque facile docebit.

bi exactissime non imminebat, & cum plures quasi simul deciderent, ipsam candelam extinguebant. Id mali ut averterem, ex lamina ferrea construxi pileum, qui operculo vasis adfixus decidentes super candelam guttulas devolesebat, quo facto experimenta, saepius licet iterata, feliciter processerunt. Postea idem experimentum feci in aqua profundiori ad septem pedum altitudinem, repetitis vicibus, eratque semper exoptatus rei eventus. Candelas adhibui sebaceas crassiores, quae per septem circiter horas ardebant, antequam integræ consumerentur. Nullum igitur restat dubium, quin hac ratione per integras noctes, quemadmodum vult Illustr. Reg. Scient. Academia, ardeat, quoties placuerit, sub aquis candela.

Aliqvando, lucernâ in libero aere positâ, sex simul accendi in ea candelas, quae omnes læta admodumflammâ ardebant, eratque circulatio aeris multo quam antea vehementior, & quidem illa in primis candela, quae proxima erat tubo aerem advehenti, per nimium venti flatum, cito diffuebat, adeo ut, licet omnes ejusdem essent quantitatis, vix per dimidiam horam duraret, reliquis per plures horas ardentes.

Tentavi etiam utrum perinde arderent candelæ, si tuba illa, per quem aer in lucernam advehatur, non continuaretur in cavitatem lucernæ ultra fundum ejus imperius, atque compari sex istas candelas nihil lecias ardere, præterquam quod fatus æris irruentis, ob majorem distantiam

am inter dicti tubi orificium & ipsas candelas, ad omnes circum lucernæ fundum positas candelas ferre æquvaliter se extenderet. Occluto autem alterutro tubo, observavi candelas statim exstingui. Qvod ad superiores partes tuborum attinet, nihil ad rem faciebat, uter eorum altero aliquanto altior esset.

Adhibitis tubis ligneis angustioribus, quorum supra mentionem feci, exstinguebantur candelæ, dum ad summitatem lucernæ elevabatur inferius orificium tubi aerem advehentis; etiam vitrum medio lucernæ insertum, aliquot horis elapsis, fuligine nigrum siebat, adeo ut tantum non omnem amitteret pelluciditatem. Verum cum amphores essent tubi, nulla omnino fuligine inficitur vitrum.

### §. IX.

**S**upponit Illustr. Reg. Scient. Academia pisces gaudere tanta lumen adspectandi voluptate, ut ejus intuitu in apte constructa instrumenta piscatoria seduci se patiantur. Quavis data occasione a piscatoribus ego perquisivi, qvinam præ ceteris pisces lumen adamarent, & responsum accepi, non potuisse eos, dum in tenebrosa nocte ad ignem fusca (*huster*) pisces capiunt, observare, qvod pisces quidam, præterquam qvod hominis conspectum quandoque fugiant, vel ad lumen accedant, vel ab eodem recedant, sed potius qvod plerumque quietentes reperiantur, exceptis esciibus, qui læpissime quasi ad lucem spectandam e

lon-

longinquo advolant; atque mox iterum aufugiunt. Interim tamen, cum supra memorata experimen-  
ta instituerem, inclusi lucernam nastæ (*ryssia*)  
cujus ea est structura ut pisces eam ingressi exi-  
tum non reperiant Verum infelicem tuisse pi-  
scaturam non mirabitur, qui cognoverit, quanta  
sit in istis aquis piscium paucitas. Neque dubi-  
tare possum, quin Illustr. Reg. Scient. Academia,  
pro ea, quam gerit, excolendæ œconomiae cura  
paterna atque longissime supra meas laudes posita,  
faciat in diversis aquis, ubi varii generis pisces  
capiuntur, institui experimenta, ex quibus tandem  
patescat, utrum operæ pretium sit, ad pescatio-  
nem hanc adhibere machinam. Quibus autem  
modis id fieri debeat, facile perspicere potest,  
qui operi manum admoverit.

### §. X.

**E**X iis, quæ §. 3. de urinatoribus dicta sunt, pa-  
tet hancce machinam nostram illis quoque  
intervire. Sic enim in usum candelæ ardentis non  
consumitur aër sub campana contentus, quo ad  
respirationem indigent, neque opus est machinis  
deferre aerem ad alendum in lucerna ignem. Et-  
iam conchytis (*perlefficare*) utri est hæc lucer-  
na; fundo enim maris aut fluminis lumine col-  
lustrato, conchæ sine ullo negotio inveniuntur;  
si autem justo debilius sit lumen, multiplicatis  
candelis, atque scite applicatis speculis reflecten-  
tibus, pro lubitu illud intendi poterit. Immo u-  
bi limpida est aqua marina vel fluvialis, credi-  
derim

derim fundum maris aut fluminis licet profundi posse ita illustrari, ut etiam ab iis, qui in ipsam aquam non descenderint, distinctorē latis spectari queat. Quid quidem eo felicius procedet, quo spissiores fuerint tenebræ, & quo propius ad fundum aquæ immersa fuerit lucerna vitrea pellucida.


Festivis quoque ignibus hæc machina inservit, nam ignis sub aqua ardens jucundum præbet spectaculum.





Præterea si magna construatur hujuscemodi lucerna, videtur homo in aquis sustentari posse ope hujus artificii. Cum enim plures candelæ simul in lucerna mea ardebat, adeo vehemens erat aeris circulatio, ut probabile admodum sit, respirationi eum sufficisse, si capere hominem potuisset lucerna. Et quidem eo probabilius est hæc opinio, quo certius constat, aerem respiratum vi caloris, quem in corpore humano contraxerat, sponte quasi ascendere, perinde atque adscendit aer igne calefactus.

### §. XI.

**T**emporis angustia & instrumentorum necessariorum defectus me prohibuerunt instituire plura experimenta, quibus ad liquidum perduceretur haec res. Restat nimirum ut examinetur, quanta requiratur cavitas tuborum pro data quavis magnitudine ignis aut candelarum ardantium, & quænam juxta habenda sit ratio profunditatis aquæ

aqvæ seu longitudinis tuborum, nec non uter eorum & qvanto arctior esse possit quam alter, item qvanta in qvolibet casu sit aëris per tubum delati velocitas, & cetera, qvæ vel jam desiderata sunt, vel instituendis experimentis ulterioribus observari atqve addisci poterunt. Si autem post-hac res meæ permiserint, ut telam hanc pertexere mihi liceat, non intermittam pleniorem narrationem in lucem edere, simulqve machinam integræ æri incisam, ut omnes ejus partes distincte pverideri queant, exhibere. Prodit interim, fig. 4, aliquavis ejus delineatio, qvâ ipsa lucerna, tubi atqve candela ardens plano secta repræsentantur.





Til Herr RESPONDENTEN  
Min Högtåhrade tiare Broder

**H**Var man til fälhets äger lust,  
Dock finner mången icel pust,  
Måre ett des sinne märcker,  
Hvad sant, hvad godt, och nyttigt är;  
Då den alt sådant winna plår,  
Hwars öga liuset stärcker.

Men at min Brod I ägen lus,  
Nog skönjes då i winterns hus,  
I sen hur' eld bör stråla;  
Det visar och Ehr goda nyt,  
At swara för et märck, som dit  
Rätt går, at det afmåla.

Som fanning aldrig swika kan,  
At fälhets dela åt den man,  
Som rått des dyrd besinner,  
Och henne ei til föräntgångt prål,  
Men til sit råtta Widadamål,  
Unvwända sig på fåminner.

Cäk får min Broder åsn en se,  
Des liufrea frucht sig så framte,  
At hon rent nöje giswer.  
Jag töres, utaf glädje stor,  
När jag Ehr önska får min Brod  
Den fälhets; då jag blisw.r.

En förtrogen Bi se  
JOHAN WELIN.  
B. F.